

quam satis extolli, aut deprædicari potest. vide A
Pfalm. XCIII, 1. XCVI, 10. XCVII, 1.

יָרָגוּ commoventur :) nimirum ex indignatione, ob impeditum h. m. carnis infrunitæ dominium, ut *Pfal. II, 1.* quare **רָגְזוּ tumultuatae sunt gentes.** ita namque radix hæc **רָגַז** accipitur, *Pfal. IV, 5.* **וְרָגְזוּ** ὀργιζέσθε, irascimini, vertentibus sic *LXX.* & Paulo *Eph. IV, 26.* (ita de incredulis ac reluctantis populis *Vinariens.*) Vel idem ac, *Expavescent;* nam & de hõc animi affectu usurpatur *Joel. II, 12.* ante ipsum **וְרָגְזוּ** commoventur terra, tremunt cæli. *Deut. II, 25.* **וְרָגְזוּ** & contremiscent & pavebunt coram eõ: *Jer. xxxiii, 9.* timebunt **וְרָגְזוּ** & contremiscent (gentes) super omni bonõ &c. confer *Prov. XXIX, 9.* Requiritur proinde voce hac reverentia erga imperantem huncce Regem submissa, qua populi respectis suis enormibus delictis, pœnitenti provolvuntur pectore, de cunctis viribus meritave propriis penitus desperantes, gratiamque Regis unicè ambientes. Diversa connectendi est ratio: *Dominus regnat,* (adeo ut) *contremiscent populi.* Belgæ: Vel, (iccirco) *commoventur.* ita Lutherus: *darum toben. prius: das Toben der Bölcker. Campensis: quia Dominus advenit, administraturus regnum, contremiscent populi, (etiãsi,) commoveantur, vel: commoveantur.*

יָשָׁב sedens super Cherubim :) scil. **יָשָׁב** imperat; id namque prædicatum ex priori repetendum esse membrõ, docet quodammodo accentuatio, nec non convenientia inter **יָשָׁב** & huncce titulum: **יָשָׁב** ut qui nemini præterquam *Jehova,* convenit. vide *1. Sam. IV, 4. 1. Par. XIII, 6.* arcam fœderis *Jehovæ* exercituum, sedentis super Cherubim *2. Sam. VI, 2.* nomen *Jehovæ* exercituum, sedentis super Cherubim, qui sunt super eam, (arcam) *2. Reg. XIX, 15.* oravit coram *Jehovâ,* dicens: *Jehova Deus Israël sedens super Cherubim.* *Pfal. LXXX, 2.* õ pastor *Israël,* qui sedes super Cherubim. Vide plura ibidem. De sessione super Cherubim, *Dorsch. d. 14. pentad. §. 14. seq. Lutherus:* er sitzet auf Cherubim. Belgæ accipiunt tanquam propositionem integram, ita tamen, ut subjectum **יָשָׁב** repetatur ex præcedentibus, cum juxta priorem expositionem prædicatum **יָשָׁב** iterandum fuisset. Exiguum tamen erit discrimen, denotabiturque h. m. regnantis Domini prior revelatio, quod idem ille qui in V. T. ex arca dedit responsa, populumque gubernavit, gubernationem quoque ecclesiæ in N. T. sit continuaturus in assumpta carne, cujus typus quodammodo fuerat arca fœderis in V. T. *Rom. III, 25.*

יָרָגוּ movetur :) non extat alibi hæc vox in sacris, exponitur tamen à *R. Natbane* per **יָרָגוּ** moveri. Atque sic **יָרָגוּ** ejusdem quoque est & soni & significatus. Chaldaicis **יָרָגוּ** est commovere, exterrere. Sine dubiõ igitur motus describitur incolarum terræ, sive conversorum, qui ex pœnitentia secundum Deum dolent ac emendantur, (ita Belgæ:) sive in impœnitentia perseverantium, qui induratõ pectore furiosius erga conversos fremunt, eosque persequuntur. De terrâ ob imperium hoc cœleste exultante, vide *Pfal. XCVII, 1.* Lutherus: *darum reget sich die Welt. (Vinariens. die verstockten Tyrannen und Heyden wüthen wider sein Wort.) Campens. quare reverenter attoniti sient habitatores terræ.*

EXPLICATIO VERSUS II.

בְּצִיּוֹן in Sion :) i. e. in ecclesiâ suâ, per Sionem in V. T. præfiguratâ & quæ etiam temporibus Davidis in Zion convenire solebat. vel *Zionis* meminit tanquam regis aut palatii sacri, ubi Orbis monarcha peculiariter conveniri audiri ve potest, licet regnum ipsius alibi quoque satis sit per orbem univèrsum conspicuum.

מַגְּנִים magnus est :) h. e. magnum se ostendit, & magnus etiam ratione infinitæ suæ majestatis ac potentiæ à cultoribus suis agnoscitur, ac celebratur, vide *Pfal. XLVII, 3.* ubi Deus dicitur rex magnus super univèrsam terram: *Pfal. XLVIII, 2.* & *XCVI, 4.* magnus Dominus & laudabilis valdè: *Pfal. LXXXVI, 10.* magnus tu es: *Pfal. XCV, 3.* Deus magnus est *Jehova* & rex magnus.

וְיָרָגוּ elevatus vel excelsus super omnes populos :) h. e. eminentia Dei longissimè excedit omnem omnium sub cœlõ nationum ac regnorum potentiam aut dignitatem, imò & captum; quippe omnes populi sunt quasi locustæ, attritu pedis unicõ debiles. *Jes. XL, 15. 22.* imò quasi nihilum & inane, in collatione cum tantõ Numine, *vers. 17.* Metaphora petitur à rebus quantis, ut sunt arbores, animalia, palatia, turres, &c. quæ quò elatiores aliis, eõ etiam majori sunt in pretio, pluribusque præditæ censentur viribus. Sic *Deut. I, 28. II, 10. 21. IX, 2.* de Cananæis & Gigantibus: *populus magnus & excelsus,* (procerior me, &c.) Similis locus est *Pfal. CXIII, 4.* excelsus super omnes populos *Jehovah:* *Pfal. cxxxviii, 6.* **יָרָגוּ** est *Jehovah,* & humilem tamen respicit: *Jes. LVII, 15.* sic dixit **יָרָגוּ** habitans in seculum.

EXPLICATIO VERSUS III.

יָרָגוּ celebrabunt :) videlicet tum Sionitæ, tum populi univèrsi, quorum modo facta mentio. Continetur hîc publicæ religionis veræ tum susceptio, tum libera solennisque ac læta professio; vide *Pfal. XCII, 2.* bonum est **לְהוֹדוֹת** ליהודות & *Pfal. XCVII, 12.* **וְיָרָגוּ** celebrate memoriam sanctitatis ejus. Ad incredulos, Deum non ex animõ, sed coactè laudantes vel victori ipsi gloriam tribuentes, *Steph. Lutherus:* man dancet/ prius: man dancet. Campen: *fatebuntur nomen tuum magnum esse.*

שֵׁם nomen tuum :) i. e. te ipsum, pro ratione revelationis, secundum quam ipsis innouisti: vide *Pfal. XCII, 2.* bonum est psallere **שֵׁם** õ Excelsæ. *Pfal. LXXXVI, 9.* honorabunt nomen tuum. Notetur hic subita personæ mutatio, ubi proximè aderat tertia; ipse est magnus, nunc secunda; nomen tuum. Figurâ hac nil frequentius in Psalmis.

מַגְּנִים magnus :) vide *Pfal. LXXVI, 2.* in Israël **מַגְּנִים**. Ratione constructionis cohæret hoc & sequens adjectivum cum substantivõ **שֵׁם** nomen tuum magnum & tremendum; id quod docet accentuatio, ubi locõ athnach absentis positum *Revia* composit. confer *Ledeb. accent. p. 442.*

יָרָגוּ tremendum :) vel veneratione humillima devotaque prosequendum; vide *Pfal. XCVI, 4.* ipse super omnes Deos: *Pfal. LXXVI, 8.* tu **יָרָגוּ**. *Pfal. LXXXIX, 8.* **יָרָגוּ** super omnes, qui circa ipsum.

קְרוּשׁ